
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI.

DISPUTATIO MEDICA

IN AUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI

1817

AMSTELÆDAMI

~~Ex officio Rectoris Universitatis~~

D. GEORGI BARRD, S.S.T.P.

DISPUTATIO MEDICA

AMPLISSIMO SENATUI ACADEMICI

NOBILISSIMO FACULTATIS

IN AUGURALIS

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISSO IN MEDICINA HONORIBUS AB EXCELLEN

PHTHISI PULMONALI

Ex officio Rectoris Universitatis

~~GUILIELMUS JACKSON~~

Ex officio S.S.T.P.

ACADEMIAE MEDICAE AMSTELÆDAMI

Ad hanc in Universitate

EDINBURGI

EXCUBAT ADAMUS KEIL CUM SOCIIS

1817

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS JACKSON,

Ex Insula Sti VINCENTII,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M.DCC.XCIV.

DESCRIPTIO

ANATOMIA

EXACTISSIMA

ET CLINICA

REVERENDO

VIGESIMO SEPTIMO

D. GEORGI DARRD. SS. T. P.

ANDREAE DUNGAN, M. D. S. R. S.

ALEXANDRO WOOD,

EDINBURGENO,

CHIRURGORUM OPTIMO,

JOHANNI COLLINS,

ARMIGERO,

LONDINENSIS,

OR MULTA BENEFICIA

HABERE

STUDII SUUM PRIMITIUM

SAEPE VULT

AUCTOR.

VIRIS
SPECTATISSIMIS
ET CELEBERRIMIS,
REVERENDO
VICESIMO KNOX, D.D.:
ANDREÆ DUNCAN, M.D. S.R.S.:
ALEXANDRO WOOD,
EDINBURGENO,
CHIRURGORUM OPTIMO:
JOHANNI COLLINS
ARMIGERO,
LONDINENSI:
OB MULTA BENEFICIA
IN SE COLLATA,
HASCE
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
SACRAS VULT
AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

NOMEN huic morbo impositum, originem habet Græcam. A voce φθίσειν, quæ Latinè reddita, *tabescere* significat, derivatur: Omnes igitur morbi, qualicunque ex causa, quibus adfuerit corporis tabes, hocce nomen agnoscerent. Morbus autem Phthisis strictiùs dictus, ad quædam pulmonum vitia, unde Phthisis Pulmonalis, semper ferè spectat. Hu-

jus morbi definitio a celeberrimo CULLENO ita est tradita : “ Corporis emaciatio et debilitas, “ cum tussi, febre hectica, et plerumque ex- “ pectoratione purulentâ.”

Phthisis, ut videtur CULLENO, non est morbus primarius ; sed quosdam alios excipit morbos, quorum habenda est sequela. Opinatus est ille, ex affectionibus pulmonum diversis præeuntibus, de quibus postea agendum est, oriri posse.

HISTORIA.

Morbus, de quo nunc agimus, decimum quintum inter et trigessimum quintum annum ætatis plerumque occurrit. Magis in fœminas quam viros, qualescunque sint causæ, five ex eo quòd negotiis deditæ propriis multum sedent, five ex peculiari corporis fabricâ aut constitutione, sæviturum est.

Stragem permagnam quam edit phthisis in
Britanniâ animadvertentes, Morbum Angli-
cum ei nomen indiderunt exteri. Homines
fortasse, hâc in regione, quum essent crebris
subitisque cœli mutationibus, et, tempore hie-
mali, fumis prunarum fossilium noxiis in con-
claviis clausis subjecti, in hunc morbum inci-
dere fiunt proniores.

In aliis autem regionibus diros quoque præ-
stitit effectus; a quo enim tempore vixit HIP-
POCRATES hunc usque diem, peritissimi medi-
ci hujus morbi naturam et causas perscrutari,
quibusque possent remediis cursum ejus infe-
licem impedire, ea diligenter adhibere conati
sunt. Sed quàm minimè valet Ars Apollinaris
ad vim ejus resistendam, multa millia homi-
num, qui eo correpti ac singulis annis de me-
dio sublati sunt, fatis superque demonstrant.
Numerus phthisi cedentium, in tabulis mor-
tuorum publicis apud urbem Londinensem,
relatus, fidem ferè superat.

Phthisis,

Phthisis, ut quibusdam videtur, morbus est contagiosus. Qui hanc produnt opinionem, morbo ad finem ferè perducto, ac materiâ multâ purulentâ in partibus pulmonum adhuc salvis congestâ, plurimas ejus materiæ particulas una cum spiritu ejectas, per aërem volitare existimârunt; atque in aëre hisce particulis gravi si quis sanus fortè respiraverit, verisimile est, putant illi, ut phthisis hoc modo invaderet. Hâc autem in regione, ut me fert opinio, exempla hujus morbi ex contagione effecti nulla sunt, aut saltem perrara.

Indicium phthiseos incipientis primum, levis est tussis, quæ, tussiculæ catarrhi cui defunt signa febrilia, aliquam habet similitudinem. Quum vero aliquamdiu permanferit hæc tussis, ab illa catarrhum comitante facilè dignoscitur. Res per aliquot hebdomadas, et in quibusdam casibus per aliquot menses ita sese habent, tussi interdum cessante, certisque intervallis

tervallis redeunte, haud magnum ægroto incommodum affert.

Æger de quo morbo correptus fit nihil sollicitus, ac levem esse catarrhum brevi finiturum nimis securus, horum medicamentorum quibus vis ejus occurreretur usum plerumque remittit. Præterea, quo in discrimine versatur ignarus, quin corpus frigori sæpe subiciat, minimè præcavetur. Ex hac causâ ingravescit tussis, et morbus inveterascens passibus non lentis progreditur.

Nunc quoque ægrotus, nullis se rebus, quæ laborem requirunt et lassitudinem excipiunt, exercere cupit. Facies pallidum præbet aspectum; atque totum corpus languore et inertia occupatur. Etiamque hoc morbi stadio, quæ conspiciamus omnia, tabem corporis universam reddunt manifestam.

Morbo ita progrediente, tussis fit frequentior et vehementior, sed potissimum sub vesperem ægrotum infestat. Leves thoracis dolores, interdum in latere, interdum sub sterno sentit. Haud rarò etiam conqueritur, quendam esse in pectore dolorem exasperatum qui tuffiando multùm augetur.

Sæpe vero accidit, ut tussis aliquandiu duraverit, dum nihil excreatur: corpore autem frigoribus frequenter exposito, et tuffi rariùs cessante, expectoratio fit copiosa; ac præcipuè primâ diei parte maxima est. Hæc materia excreata paulatim evadit copiosior. Primò refert fluidum viscidum et opacum, quod postea sanguine sæpe mixtum, colorem flavum aut subviridem suscipit.

Quum autem adessent hæc omnia signa jam memorata, quumque tussis in diès fieret infestior, respiratio magis est difficilis quam ullo
alio

DE PHTHISI PULMONALI.

7

alio tempore per istam progressus ejus partem quam morbus exegit.

Cursum hujus morbi miserrimo ferè peracto, quam nunc speciem reddit ægrotus! eheu, quantum mutatus! Horrida macies vultum deformat, genæ subfidunt, oculus hebescunt, totumque corpus macrescit. Poeta, miserabilem famis imaginem quum referret, phthisi laborantis, hoc morbi stadio, aspectum accuratè depinxit. Aptissimis ejus verbis uti licebit:

—Cava lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabræ rubigine fauces:
Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus. Pendere putares
Pectus, et a spinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque rigebat
Orbis, et immodico prodibant tubera talo.

OVID. *Metamor.*

Ultimo hujus morbi stadio, febris, de qua jam acturus sum, se raro remittit, atque expectoratio purulenta copiosa et fudores colliquativi vires ægroti exhauriunt; ungues fiunt adunci, capilli defluunt, pedes tument. Viribus jam penitus exhaustis, animi deliquium haud raro, mens interdum aliena, et diarrhœa molestissima superveniunt: hisque signis certissimis prænunciis, vita cum morte sæpe subito commutatur.

Per hunc morbi cursum jam memoratum, ægri mens est mutabilis et varia; interdum hilaris, tristis interdum. Quod vero fidem ferè superat, ægrotus tantis tamque multis malis obrutus spem pascit inanem: etiamque ultimo in discrimine, bonam recuperandi valetudinem spe non omnino dejicitur. Nec tamen ita esse mirum habeatur: morbus enim progrediens dat sæpe remissiones, maxime quidem fallaces! dolores in pectore aliquando
minùs

minùs sunt acuti, aut breve ad tempus omnino cessant, tussis non tam molesta, expectoratio magis modica, aliaque signa evadunt mitiora.

Febris phthifin comitantis adhuc vix feci mentionem. Paucis igitur verbis, hoc in loco, de eâ differere licet et oportet.

FEBRIS HECTICA.

Febris dicta Hectica, istam quæ, postquam invaserit, cessat interdum, et quodam tempore interjecto redit, speciem amplectitur. Hujuscemodi febres solent calore lento et continuo, ac præter naturam aucto, corporis fluida consumere, tabem reddere, viresque totas minuire.

De febris hecticæ naturâ et causis, variæ fuerunt medicorum opiniones. Putat clarissi-

mus CULLENUS, hanc febrem inter morbi cujusdam symptomata annumerari debere. Plurimi quidem auctores, de hâc febre nuper disceptantes, ex materiæ purulentæ quam edunt ulcera absorptione, five talia sint ulcera interna five externa, originem ejus duxerunt.

Ingeniosus autem medicus REID de hac re tractans, hanc opinionem vulgo acceptam et creditam refellere, aliamque novam, rationi magis consentaneam, atque validioribus fultam argumentis, stabilire conatus est. Si hæc febris, ait ille, quæ phthisi pulmonali se comitem jungit, pus absorptum, fluidisque circum-euntibus admixtum, ut ejus causam agnosceret, febris huic similis alios quoque morbos sequeretur, quibus pus esset absorptum. Febrî verò abscessum vel hepaticum, vel lumbarem comitanti, nullæ sunt certæ remissiones ac matutini sudores.

Si autem existimetur, qualitatem puris incasibus suprâ dictis formati esse diversam, affirmat hic auctor, omnem materiam purulentam quoquo modo productam, in statu simplice ac naturali, eandem ferè semper qualitatem præbere, qualem scilicet, linguâ ipsorum, *pus bonum vel laudabile* chirurgi nominârunt : sed vigore ac robore fibrarum musculosarum minuentibus, et morbo progrediente, puris boni qualitas mutatur. Unde fit, ut materia purulenta phthificis excreata, quoad colorem et spissitudinem, ratione stadiis morbi diversis habitâ, mutationes subit.

Cæterùm, si febris hectica ab acri puris ex pulmonibus vitiatis absorpti naturâ excitetur, quomodo fieri potest, rogat ille, ut febris prius adfit, quàm tubercula suppurantur, aut ulla materia purulenta in pulmonibus formatur ?

Alia quidem argumenta propofuit hic medicus, quibus poffet fuam firmare opinionem. De his autem plura nunc dicere ab re foret alienum. Ex quæ verò protulit rationibus concluditur, hecticam ex phthifi pulmonali effe fui generis febrem, quæ caufas fibi proprias folùm habet. Quoniam enim, ut perhibet ille, pulmones fani multam materiam perſpirabilem fuâ ex ſuperficie edunt, ſi quando fuerint fortè vitiati, vel ex inflammatione, vel ex tuberculis et vomicis in iis formatis, liberum aëris inspiratione recepti per eos ita vitiatos tranſitum, quâdam ex parte, impediunt, et quantitatem fluidi ſolito parcioſiorem ejiciunt. Pulmones muneribus ſuis malè fungentes, quod nequeunt ejicere, fluidum uſque retinent, dum alio modo excernitur. Opinatus eſt ille, iſtam fluidi quantitatem ita præternaturam in corpore retentam, ad inducendam hecticam maximè valere. Hæc enim febris, quàm

quàm sudores eruperint, nullam prius patitur remissionem.

CAUSÆ REMOTÆ.

Homines, quibus est forma gracilis, corporis compago mollis, pulmones flaccidi et debiles, pectus ejusque viscera malè conformata, thorax angustus et depressus, scapulæ eminentes, vasa sanguifera arcta et tenuia, color vultus delicatè roseus, et temperamentum sanguineum ; ii potissimùm in hunc morbum incidere fiunt opportuniores.

Alia inter signa, quibus observatis, homines esse phthisi obnoxios, pro re haud dubiâ habeatur, ut intellectus sagacitate insigni et acumine ingenii præditus, ineunte ætate, recenseri possit.

Qui, teneris annis, strumosi fuerunt, quibusdam vitæ stadiis, ad tubercula pulmonum formanda notantur maximè proclives.

Homines quoque phthisi obnoxii sunt, qui vitam sub cœlo frigido, humido, et variante degunt.

Inter causas phthiseos remotiores, perspirationem suppressam, et usum spirituum ardentium nimis copiosum annumerare possumus.

Quo vitæ tempore hominibus contingunt hæmorrhagiæ, hoc morbo implicari evadunt proniores.

CAUSÆ EXCITANTES.

Quum, aliquâ ex causâ, vasa pulmonum extrema solito infirmiora vel debiliora facta, sanguinem

sanguinem per arterias adductum, per venas revehere nequirent, hisce partibus suis muneribus ita malè fungentibus redduntur humorum congestiones. Tales humores, cursu circulatorio ejecti, motuque ita expertes, naturam eorum mutant, qualitates valdè diversas suscipiunt, et originem tuberculis præbent.

Hujuscemodi congestiones variis efficiuntur modis.

Qui asthmate, ad istam speciem, vulgo dictam, spasmodicam, pertinente, laborârunt, iis sæpe phthisis accedit. Paroxyfmi asthmatici ex quâdam vasorum pulmonalium distensione vel plenitudine pendere videntur. Verifimilius est, hanc plenitudinem ex perspiratione suppressâ oriri. Sanguis enim ad corporis superficiem minimè propulsus, se fortassè pulmonibus

monibus confert, ibique congestus asthma concitat.

Res quoque acriter stimulantés, quales sunt fumi et pulvis, generi nervoso adhibitæ, hujus morbi paroxysmos efficiunt. Quædam exempla phthiseos ex pulvere in pulmones admisso excitatæ, a MORGAGNIO et RAMAZZINIO memoriæ tradita sunt. Paroxysmos fortasse asthmaticos primùm concitando, haud absimile est, tales edere effectus.

Pneumonia, ex quâ phthisis quoque originem trahit, similes causas agnoscit. Hic enim morbus, fluidis ex corporis superficie derivatis, et ad pulmones propulsis, tribuendus est. Hoc verò solet accidere, quum frigus esset corpori admotum, ac præsertim quum essent subitæ temperiei mutationes factæ. Inflammationes quoque pneumonicæ, omnibus, quæ, organa hoc morbo affecta impediunt, compriment,

munt, aut ullo alio modo lædunt, causis inducantur. Provenit igitur hic morbus ex nixibus nimis vehementibus loquendi, cantandi, fistulas musicas inflandi, montes celeriter ascendendi, aut quavis aliâ exercitatione utendi quæ respirationem solito citatiorem reddit.

Hæ quoque causæ jam memoratæ, hæmoptysin, de quâ brevi acturus sum, utpote quæ phthysin sæpe præcedit, excitare solent.

Catarrhus, quum extiterit ad phthysin proclivitas, vel recta vel minus recta ad eam perducit. Interdum enim efficit pneumoniam, quæ inter causas phthiseos quamplurimas jam enumeravi.

Satis constat inter Physiologos, vaporem, eodem, quo fit in corporis superficie halitus cuticularis, modo, ex pulmonibus exhalari. Quum autem, ex frigore corpori admoto, ta-

les evacuationes suppressæ fuerint, facilè concipiatur in animo, ut fluxus fluidorum auctus, atque ad pulmones imprimis inclinatus, catarrhum inducat. Ex his igitur jam dictis, patet manifestè, quo jure perspirationem impeditam, et statum cœli frigidum, humidum, ac variantem, inter causas phthiseos remotas ponamus.

Pauca nunc, ut mecum statui, de hæmoptysi, quam interdum sequitur phthisis pulmonalis, dicenda sunt. Hæmoptysis plerumque ægrotos invadit, antequam ad virilem ætatem pervenerint. Decimum quartum vel quintum circiter annum ætatis ferè accedit, ante autem quadragesimum plerumque finitur. De causis ejus frequentioribus satis jam dictum est.

Infantibus jam in lucem editis corporis humores sunt blandi; nec quidem stadiis vitæ paulo provectioribus multùm mutantur.

Hoc vitæ tempore, cibum mitissimum teneris corporibus accommodatissimum, ac facillimè concoctum fumere juvat. Sed, progrediente ætate, alimenta valdè diversa, et quæ antea averfabantur, appetere solent.

Hominiū autem humores, adolescentiâ gaudentium, acriores esse videntur. Non igitur mirum fit habendum, ut, hominibus, hoc tempore, quantitatem vini meracioris aliorumque liquorum fortium nimiam, ac simul exercitationem plus iusto vehementem adhibentibus, vasa pulmonum tenuia rumpantur, et sanguinis profluvia sequantur.

Quæcunque causæ ad hæmoptysin, eæ saltem plurimæ, ad phthisin homines faciunt proclives. Hæmoptysis tamen adolescentes sæpe invadit, in phthisin non abitura. Phthisis fortasse excipit sanguinis ex pulmonibus profluvia, quum vasa multùm ac sæpius rupta
vulnus

vulnus recens factum sanari prohibent, et ulcera formant : aut quum sanguis ipse effret effusus, nec tuffiundo exfcreatus, in bronchiis retinetur, fit acris, partesque vicinas erodit*.

Satis constat, morbos, quâdam noxiâ acrimoniâ præditos, phthifin excitare : quales funt morbi Exanthemata dicti, atque ex his Variola interdum, sæpius verò Morbilli hunc edunt effectum. Haud facilè dici potest, quænam fit hujus acrimoniæ actio ; an tubercula reddit pulmonibus, vel quasdam in corpore affectiones inflammatorias inducit, postquam evanuerint exanthemata. Ad priorem, de hâc re, opinionem accedit CULLENUS.

Syphilis quoque nonnunquam phthifin concitat. Hujus morbi virus in corpus agens, obftrictiones in pulmonibus faciat, et ulceribus malè se habentibus originem præbeat, haud

* CULLENUS.

haud aliter ac in glandulis inguinalibus, aliisque diversis corporis partibus.

CAUSA PROXIMA.

Proximam hujus morbi causam pulmonum exulcerationem agnoscere plerique consentiunt. Hæc oritur ex partibus pulmonum jam ruptis, et acri materiâ in iis contentâ. A tuberculis ferè semper hæc ulcera ita formata pendere videntur.

Hic loci non erit ab re alienum, pauca facere verba, de cadaveribus phthisi abreptorum incis, quæ inspexerunt anatomici.

CADAVERA INSPECTA.

MORGAGNIUS memoriæ tradidit exemplum, in quo et ulcera et tubercula observavit. Exemplum ab illo relatam ad mulierem spectat, quæ, vitâ manente, commercia veneris illicita exercebat. In utroque pulmone conspecta sunt plurima tubercula duriuscula, subalbida, glandulas referentia. In dextro pulmone versus sternum, ulcus materiâ purulentâ referentum invenit. Substantiam duram, pyro magnitudine æqualem in pulmone sinistro detexit.

Auctor supra citatus in lucem quoque protulit musici exemplum, cujus pulmones inspecti tubercula reddiderunt manifesta.

Omnia phthisi sublatorum exempla a VALSALVA observata, cadaveribus sectis, in superioribus

rioribus pulmonum partibus, morbi sedem et ulcera præ se ferebant.

Tubercula incisa substantiam albidam propè subtenidineam referunt. Sed in eorum superficie scalpello divisâ, stadiis scilicet morbi provectoribus, parva foramina manifestè apparent. Tuberculis verò jam magnitudine crescentibus, una vel plures sunt cavitates, in quibus fluidum puri simile continetur. Hoc fluido semoto, quædam orificia vel foramina parva, liquorem purulentum liquori in cavitatibus detecto similem, pressurâ factâ, effundentia in conspectum veniunt. Ad majora tubercula tracheæ ramus percurrebat.

Quum autem tubercula fierent majora, nomine mutato, vomicæ, dicta sunt. Liquor purulentus, colorem referens subviridem, vel subflavum, in his vomicis repertus est. Harum quoque vomicarum interiorâ versus quidam

dam asperæ arteriæ rami manifestè patebant. Rami arteriæ pulmonalis et venarum, cursum per vomicas tenentes multùm coarctati observantur, interdum etiam quâdam substantiâ fibrosâ omnino referti sunt*.

Tubercula vel vomicæ ita formata, pulmonum parietibus illis vicinis tam arctè adhærent, ut nullum, cavitates eorum inter et thoracem, nexum patiuntur †. Vomicae majores semper ferè sunt vacuæ, sed pulmonibus pressis, materia purulenta in bronchia effunditur.

DIAGNOSIS.

Nunc autem, quibus ferè signis, phthisis ab aliis dignoscitur morbis, ostendere conabor. Hoc morbo primùm correptos vexant plerumque

* Vide REID.

† Vide STARK.

que dolores in thoracis partibus fugaces, obtusi interdum, interdum acuti; dolores quoque circa scrobiculum cordis vel septum transversum, appetitus prostratus, post cibum assumptum calor auctus et rubores in facie, lassitudo insolita, et nocturni sudores. Pulmonibus verò antea vitiatis, tussis, catarrhus aut asthma plerumque præcedunt. Signa supra dicta ingravescentia, phthisin confirmatam demonstrant: etiamque hoc morbi stadium sequitur expectoratio purulenta, nonnunquam subcruenta.

Signa catarrhum et phthisin comitantia haud facilè distinguuntur.

Catarrho laborantibus tussis plerumque est humida, parum cessans, ab initio morbi expectoratio, respiratio haud difficilis, dolores pectoris nulli aut saltem leves, decubitus in quâvis corporis positione facilis.

Contrà verò, tuffis phthifi correptos infeftans, ceffat interdum, perque intervalla redit. Tuffis quoque phthifica fine frigore corpori admoto sæpe oritur; nec fenfum ponderis vel plenitudinis in capite, nec raucitatem, nec ullum ex naribus et faucibus mucum ejectum fibi comites habet.

Postquam autem paululùm remiferit, fi, non folùm vere, autumnò vel hieme, fed etiam æftate iterum accedat tuffis nec plena nec vehemens, fed tam levis sæpe, ut fe malè habere vix putat ægrotus; fi hoc modo, multos per menses, perftiterit, et dyfpnœa aliquo motu adhibito aucta quoque adefit, quin phthifi correptus fit, minimè dubitetur.

Si antea morbillis aliifve morbis pulmones affecti fuerint res vix eft in dubio; fed pro certo habeatur, fi cum fignis fupra memoratis prægreffis, ægrotò, habitu dine corporis ftu-

mosâ, colore pulchrè roseo, labiisque tumidis donato supervenerint febris hectica et macies.

P R O G N O S I S.

Hujus morbi prognosis plerumque infausta est. Sunt qui tamen, nonnullos phthisi affectos, et in ultimo discrimine versatos, valetudinem prosperam recuperasse dixerunt.

Si, morbo incipiente, tussis et dolores sint leves; si corpus ægroti antea validum minimè macrescit, et febris hectica nondum invaserit, aliaque signa pulmonum malè se habentium non appareant, de salute non est desperandum.

Si verò aliquis, cui labes est hæreditaria et forma corporis gracilis, in phthisin inciderit;

et,

et, morbo progrediente, superveniunt febris hæctica et corporis emaciatio in dies gravior, dyspnœa et decubitus in latus unum alterumve difficilis, tussis molesta, et exscretio materiæ flavæ, viridis vel albidæ, puri similis, matutini sudores copiosi, pedum œdema, et diarrhœa gravissima, exitum vel faustum vel felicem sperare non potest.

Quidam, ut putat CULLENUS, phthisi tuberculosâ impliciti bonam valetudinem receperunt : præ aliis autem species est hujus morbi periculosissima.

Mulieres uterum gerentes et maniaci cursum phthiseos lethalem impediunt ; his verò, mente suâ recuperatâ, atque illis, tempore graviditatis elapso, hostis insidiosus, nec arte fugiendus, nec vi vincendus, rursus impetum facit sæviorem.

RATIO MEDENDI.

Quæ in hoc morbo arcendo vel depellendo indicantur, tuberculorum formationi occurrere, pulmonibus materiam purulentam elicere, regulas de diætâ, cœli temperie, exercitatione, animique affectibus statuere, atque symptomata graviora levare, medicorum attentionem vindicant.

Fonticuli, setacea, et vesicatoria, pectoris affectionibus multùm prodesse existimantur. Alicui igitur, phthifico corporis habitu, aut scrofulâ, aut morbis cuticularibus laboranti, vel cui est labes hæreditaria ex talibus morbis, si solitæ evacuationes fuerint suppressæ, ac statim pulmones malè se habuerint, evacuationes restituere, vel humores retentos arte elicere sine morâ decurrendum est. Hunc

ad finem, *fonticulis*, *setaceis*, vel *vesicatoriis*, prout morbi natura aliæque res postulent, uti oportet. Maximo erit ufui, *fonticulos* vel *setacea*, si quæ sint necessaria, partibus ad morbi sedem vicinissimis admovere. Haud abfimile est, humores noxios, quoquo modo ad pulmones propulso, morbis gravissimis originem præbere : talibus verò humoribus hoc modo elicitis, morbi arceantur.

Audivi CULLENUM consuevisse *cicutam* in phthisi proponere. Alios medicos *digitalem* adhibuisse invenio. Sine dubio, prosperi effectus quos observârunt oriri ex his medicamentis in morbis huic similibus adhibitis, ad opinionem, ut phthisi pulmonali prodesse, eos duxerunt. Sed remedia tam viribus pol-lentia cautissimè administrandum est.

Quidam inter Gallos medici et chymici, in hoc morbo curando, *oxygenium* adhibere conati

nati sunt. Quum phthifici in aëre puro respirarent, effectus maximè salutares experiri dicuntur. Animum reddere hilarem existimant: ubi igitur nulla est salutis spes, in aëre puro respirando, signa phthisin comitantia mitescere, et mortem nunc certam evadere minùs terribilem, opinantur*.

BEDDOES autem medicus ingeniosus, diversam, et quidem huic omnino contrariam opinionem, in lucem nuper edidit. Putat ille, phthisin quantitati *oxygenii* in corpore receptæ solito majori tribuendum esse; inde oriri inflammatorias affectiones, aliaque hujus morbi indicia: atque si phthisis ex talibus causis provenisset, ægrotos in conclaviis arctis includi debere, quo minus aëris puri admitteretur, utpote qui vim morbi adauget. Me tamen judice, phthisin hæcæ causas agnoscere, maximè dubitetur: nec experimentis fatis validis

* Vide CHAPTAL.

validis firmatum est, ut hoc medendi consilium ad eventum optatum feliciter perduceret.

Elixir vitriolicum in exemplis phthificis sæpe adhibetur. Auctor celeberrimus memoriæ tradidit, hoc remedium esse adhibitum in stadio hujus morbi inflammatorio, dum pulsus esset citatus et durus, respiratio difficilis, et tussis frequens, cum calore aucto et expectoratione parcâ; atque omnia signa evadere graviora; etiamnum supervenire sanguinis exscreationem aliâque eam comitantia. Provectoribus autem phthiseos stadiis, cum accesserit ad putredinem proclivitas, hoc medicamentum hanc proclivitatem compescit, sudores colliquativos cohibet, et si pulmones non omnino sunt insanabiles, aliquid commodi præbeat*.

Sunt

* Vide FOTHERGILL.

Sunt qui, aquas minerales Bristolenses nonnunquam edere bonos effectus in hoc morbo existimârunt. Hæ quidem aquæ videntur præditæ, quâdam ex parte, calcareo-stypticâ qualitate; et fortasse aër quem reddit calx in iis contenta, quodammodo est antisepticus.

Emetica, quæ sanguinem corporis exteriora versus eliciunt, phthisin correptis multùm prodesse videntur. In volumine Comment. Med. Edin. nuper edito, pauca prolata sunt exempla, quorum plurimis *cuprum vitriolatum* profuit multùm.

Doctor MAY in suo de hâc re tractatu, in lucem edidit opinionem, hujus morbi inflammationem a nimiâ vasorum laxitate pendere; atque, re ita se habente, remedia *tonica* indicari. Ex his aptissima sunt *emetica*, quæ intervallis trium vel sex dierum adhibeantur. Per intervalla *infusum cort. Peruv. cum spiritu*

lavend. et myrrh. compos. exhibet. His quoque *opium* dosibus fatis largis interdum jungit. Satis constat, ait ille, ex experimentis multis a medicis jam institutis, cort. Peruv. meze-reon, aliaque hujuscemodi remedia, in omnibus scrofulosis affectionibus multùm valere; et quoniam manifestè apparet scrofulam inter et phthisin similitudinem esse tam conspicuam, ut varietates tantùm morbi ejusdem esse videantur, eadem, quoad medendi methodum, in utroque morbo indicantur.

Hic medicus se habet persuasum, ut sanguinis detractio, aliæque *regiminis antiphlogistici* partes adhibitæ, nullum commodum, quum esset confirmata phthisis pulmonalis, attulerunt. Si enim ejus sententia de hujus morbi naturâ, esset vera, quam quidem argumentis fatis validis, multâque observatione fultam esse censet, talia remedia, ut ei videtur, minimè erunt efficacia. De hâc verò opinione,

alii majore experienciâ donati meliùs judicent; nunc in animo est mihi, eam nec refellere nec affirmare.

Paucis nunc verbis de remediis usitatioribus differere oportet.

Missio sanguinis, initio præsertim morbi, præcipi solet; et quidem suum commodum habet, si rarò, longoque tempore interposito, adhibeatur. Nuper mihi data est occasio, ubi aliquid boni ex sanguine misso manifestè patebat.

De diætâ phthisi correptis aptissimâ, variæ sunt medicorum opiniones. Caro animalis et liquores fortes fermentati multum detrimenti afferre habentur. Regimen igitur ex lacte et vegetabilibus conflatum, in eorum loco præcipitur. Lac quidem diu laudibus clatum est maximis, etiamque, hodiernis temporibus,

poribus, habitum est ut pars diætæ phthificis accommodatissima. Qui fortasse victu lautiore antea usi sunt, regimen lacteum cum successu adhibeant. Sed effectus tam mirandos, ut scilicet corporis fluida mutantur, et morbi causæ summoveantur, ex lactis usu, sperare non possumus.

Fructus varii generis, ii præcipuè acidodulces dicti, cum beneficio adhibere solent. Fructus autem esse maturos cavere oportet.

Ista regio phthificis est amicissima, in quâ cœli temperies modica, serena, et æqualis, nec frigoris nec caloris excessu varians servatur. Si igitur fieri possit, quamprimùm migrandus est phthisi correptus ad regionem qualem descripsit poëta :

Nescit

Nescit calores lenis æstas torridos,

Frangit rigores bruma flammis asperos,

Non pestilentis pallet Austri spiritu

Autumnus æquis temperatus flatibus,

Non ver solutis annium repagulis

Inundat agros, et labores eluit.

BUCHANANUS.

Æger vitam agat in rure potius quàm in urbe: aër enim rusticus vaporibus sulphureis omnino est purus, cum quibus gravat aër urbanus. Aër igitur in rure phthificis magis est salubris.

De quæ phthisi implicitis maximè favet, exercitatione, inter medicos minimè convenit.

Alii equitationem, alii navigationem laudant.

Leves autem exercitationes, ut mihi videntur, quales sunt ambulatio et equitatio lenta, aptæ sunt et necessariæ. Satis constat, quantis laudibus SYDENHAMUS equitationem extulit.

tulit. Sed ex hujuscemodi exercitatione, in quibusdam phthiſeos exemplis, nihil boni, in aliis etiam detrimentum, MORGAGNIO teſte, accepit ægrotus. Ut mea fert opinio, ſi viribus ægroti non excedat, hæc ſpecies geſtationis bis vel ter per curſum hebdomadis multum proderit. Sed motu non citato equitare, nec itinera in dies quinque vel ſex millibus paſſuum longiora ſub cœlo ſereno et modicè calido facere, caveat æger.

Navigatio fortasſe aliquid commodi præbeat, tum quòd nauſeam sæpe promovet, tum aër qui mari incumbit eſt purior.

S I M I L E

Neminem latet, quâ vi animi affectus in corpus agunt. Quæ igitur curis nimis anxiiſ afficiant, mœrorem vel luſtum concitant, iras accendunt, aut ullo alio modo animum turbant vel deprimunt, ſedulò fugienda. Quæ contrâ hilaritatem reddunt, gaudium temperatum

ratum efficiunt, et animum oblectant et permulcent, assiduè petenda.

Tussis, quum esset noctu præsertim molestissima, et somnum ægroto omnino auferret, *opio* sedanda est. Ad eundem finem mucilaginosæ quoque adhibeantur. Diarrhœa cohiberi solet *tincturâ e catechu, alumine, gummi kino,* aliisque hujuscemodi remediis.

F I N I S.

